

Sancti filiis suis valedicturus, & futura prædicturus, inquit *Gen. XLIX. 12. Congregamini, ut annunciem, quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis: Congregamini, & audite filii Jacob, audite Israel, Patrem vestrum. Balaam, præter suam intentionem, & omnium Moabitarum expectationem, loco maledictionis filiis Israel benedicturus, ex afflatu Spiritus orditur suum vaticinium Num. XXIV. 3. Dixit Balaam, filius Beor, dixit homo, cujus apertus est oculus: Dixit auditor sermonum DEI &c: Moses, Israelitis valedicturus, & valedictoria quadam exhortatione, cunctos ad perpetuum DEI cultum excitaturus, emphaticis his verbis sermonem ingreditur: *Audite cali quæ loquor, audiat terra, verba oris mei Deut. XXXII. 1.* Sic Christus aliquoties suos auditores emphatica $\omega\rho\sigma\ \rho\omega\eta\sigma\upsilon$ fuit allocutus: *Qui habet aures audiendi, audiat Matth. XI. 15. XIII. 9. 43. Marc. IV. 9. 23. Luc. IX. 8. XIV. 35. Apoc. II. 7. 11. 17. 29. III. 6. 13. 22. XIII. 9.* Sic etiam Paulus h. l. non absque præfatione profus emphatica, nervosa, & energetica Paschalem hanc Mnemosophiam Timotheo, filio & discipulo suo, simul etiam omnibus fidelibus, tanquam mysticis Timotheis, commendare voluit, tum per excitationem docilitatis: *Intellige, quæ dico: tum per excitationem attentionis, Dabit tibi Dominus intellectum, nim. per efficacissimum verbum meum, ad percipiendam & custodiendam hanc paschalem Mnemosophiam: tum per excitationem benevolentie, vel benevole susceptionis, dabit nim. divina gratia v. i. instar doni, & quidem in omnibus, cum primis quoad hanc Mnemosophiam paschalem, intellectum.**

7. Si verò præcedentes versiculos paulo curatius inter se conferimus, non uno modo nobis *causa Principalis*, exhibetur, nim. (1) $\alpha\pi\lambda\omega\varsigma$, quia sic respectus habetur ad *divinam essentiam*, quo pacto v. 7. $\delta\ \kappa\upsilon\epsilon\iota$ Dominus, quoad hanc Mnemosophiam paschalem dicitur autor & dator tum intellectus, tum affectus, tum effectus, ut quoad intellectum hanc Mnemosophiam paschalem cognoscamus, quoad affectum eam suscipere cupiamus, quoad effectum semper ad meditationes, & operationes paschales admoveamus, & nos in eadem, instar discipulorum paschalium,

exerc-